



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



DISSERTATIO PHILOSOPHICA

SENTENTIAS PROTESTANTIVM
 IVRIS NATVRAE DOCTORVM
 DE LEGE NATVRALI
 A VITVPERATIONIBVS
C E L. P. D E S I N G I I
 DEFENDENS

QVAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
 ANGARIAE ET WESTPHALIAE REL.

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM
 ORDINE

AD LOCVM IN EODEM OBTINENDVM

IPSIS CAL. IVL. CIOIOCCCLVI.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

PRAESES

M. IOANNES STEPH. MÜLLER

AMPLISS. ORD. PHLOS. ADIVNCTVS DESIGNATVS
 CVM RESPONDENTE

GEORGIO DANIELI MOOG

TRARBACO-SPONHEMICO SANCTIORIS DOCTRINAE CVLTORE

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.

5)

CICERO: DE FINIBVS BONORVM
ET MALORVM.

Dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandae. Maledicta, contumeliae, iracundiae, contentiones, concertationesque in disputando pertinaces indigna philosophia videri solent. Neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinacia recte disputari potest.



PROOEMIUM.



Multa nuper et varia et vtilia de iure naturali a *Celeberrimo* P. DESINGIO, *Benedictino et Eminentissimi Cardinalis de LAMBERG Consiliario* dicta sunt. Habetur subtilis et vehemens disputator, dulcis tamen, quod maximi nominis philosophi mirantur. Ornate splendideque pronuntiauit. Plurimi publica et ulteriori diiudicatione differta DESINGII digna vocarunt. Omnes de Viro bene aestimarunt.

A

Diuul-



Diulgavit quoque *Larvam detractam iuris naturae*. Quam omnibus nostris doctoribus iuris naturae opposuit. Horrenda auditu hic Puffendorffianis et Wolffianis tribuuntur. Ut generatim omnia complectar: *Famae male, dicuntur, consuluisse: nihil mundo utilitatis peperisse: periculosi doctores et noxii moribus atque conscientiae compellantur.*

Quae cum dixisset Vir admodum reuerendus, *purgatum ius naturae edidit, atque liberatum a lubricis, ut ait, protestantium principiis.*

Si finis atque extremum quaeritur, quo sint omnia cavillandi et emendandi consilia referenda; illum in eo Cel. DESING posuit, ut catholica iuventus ab academiis protestantium retrahatur.

Vidi DESINGII molimina. Ponderavi. Prima novissimis contuli. Ad id, animaduerti, sese omnia reducere, ut protestantium iuris
naturae



naturae doctorum sententiae de lege naturali
euertantur: vt lex naturalis suis conditionibus
spolietur: vt principio, quod vnicum esse debet
atque primum, infallibile et euident, proprium
atque a reuelatione abstrahendum, aliud quod-
dam succedat, quod oppositarum conditionum
sit, non vnum atque primum, non proprium
atque a reuelatione abstrahendum, fallibile po-
tius atque obscurum.

Decebam aliquid defendere contra publi-
cas eruditorum oppositiones. Dignissimae tali
negotio sententiae, modo declaratae, protestan-
tium iuris naturae doctorum de lege naturali
videbantur. Succipi earum vindicationem.
Ego autem quantum praestiterim, aliorum sit
iudicium. Multum certe conatus
sum.

§. I.

Contra omnium opinionem et expectationem, quis est, qui studium et operam P. DESINGII esse, non affirmet? Quae imminent fatarum veritatibus? Hactenus si quaerebatur inter philosophos legis naturae principium, ad hoc totius controversiae fundamentum redibat, quod, quae arripiebant philosophi iuris naturae principia, destituta interdum istis conditionibus, vnitatem nimirum et proprietate cum reliquis essent. Nunc temporis male suae ille philosophus famae consuluisse DESINGIO dicitur, qui, quod vnicum, infallibile, proprium et cum primis evidens est, principium iuris naturae excogitavit. Nudum interim omni argumentandi ratione, nolim tamen, existimes, Virum Cel. apparuisse. Attulit varias rationes, ex quibus, credit, requisitas hucusque ad iuris naturae principium condiciones remouendas esse. Singulatim procedit. Singulatim quoque respondere, animus est, ad vnum quodque eorum, quibus sua superstruxisse DESINGIVM *ωαράδοξα* atque admirabilia, vidimus.

§. II.



§. II.

Vt autem ratione et via procedat **disputatio**, non, quo ignorare vos, arbitrer; ante lustrationem, quam singulo argumentorum **DESINGLI** promissimus, primo omnium ex aliis de hacce controuersia commentationibus, existimamus, repetendum esse, quemnam significatum tribuerint iuris naturae doctores legi naturali, si vnicum eam esse principium, ac primum, euidens, infalibile propriumque cum reliquis conditionibus, dixerunt. Saepe enim iisdem verbis, quibus exprimi iuris naturae principium solet **Cel. Virum**, vidi, diuersas notiones tribuisse. Inde omnis iste natus est error **DESINGII**, commemoratas legis naturae conditiones accusantis, oppositasque laudantis. Inde mihi vires: inde mea tela.

§. III.

Tria autem, quae tyronibus in naturali iurisprudentia sunt notissima, sufficiant hic, de lege naturali annotasse. *Primum*: In controuersia, quae saepe et diu circa principium iuris naturae agitata inter philosophos fuit, non *subiectiue*, vt scholae loquuntur, ius naturae consideratur: id est, non pro stimulis essen-



tialibus sumitur, ad id nempe ducentibus, quod existenti naturae conuenit, et quo sensu olim ius illud VLPIANVS dicebat, *quod docuit natura omnibus animalibus*; Sed *obiectiue* spectatur: id est, collectas ex rerum notionibus propositiones significat, quarum ad praescripta nostras attemperare actiones debemus.

§. III.

Alterum eorum, quae ad meliorem *defingianorum* discussionem prae ceteris spectare videntur, in hoc, opinor, consistere: Vt non *principium essendi* ponatur, quod primi rerum conceptus constituunt, nec *fiendi principium*, quod existens atque a Deo dependens rerum natura esset; sed vt potius *principium cognoscendi* statuatur, si sumitur tanquam vnicum, primum, euidens, proprium atque ab omni reuelatione immediata distinctum, illud nempe, vnde cognoscendum, et obuium factum tale esse, ad quod faciendum vel omittendum natura nos obliget. Qui autem, alia, malunt, adhiberi vocabula, aequi esse debent, quod technicis verbis agendum fuerit et vsu receptis, cum in scientiis loquimur, idque eodem modo ipsi Romani olim fecerunt.

Vsitata

Ysitata autem in hacce iurisprudencia scientia vocabu-
la ista omnia esse, qualia vsurpauimus, quis est, qui
neget?

S. V.

Tandem non tale cognoscendi principium per
istam legem naturae determinatur, cuius nimirum ope
assumptio, vulgo, *minor syllogismi* illius *propositio* pos-
sit corroborari; sed potius *expofitione* siue *maiori pro-*
positioe, necesse est, sumas, talis modi legem natura-
lem constitui. Praestruit enim sibi illa conclusio, ex
qua patet naturalis ad factum obuium obligatio, hunc-
ce syllogismum, si schemate quodam, animus forsan
sit, cogitata exprimere:

Quicquid est tale factum, ad id nos obligati natura
sumus.

Obuium autem factum est tale.

Nos igitur ad id factum natura obligat.

Nemo fuit philosophus, qui per principium iuris na-
turae vnquam voluerit alteram siue *minorem propo-*
tionem eiusmodi ratiocinii euctam reddere. Omnes,
statuamus, necesse est, illud principium loco *maioris*
pro-



propositionis posuisse, quod instar legis naturae fuerit a).

§. VI.

Quibus praemonitis, ad ipsa argumenta nunc venimus. Inuehit *primo* in id, quod *unicum* esse debeat talismodi iuris naturae principium. *Non est*, obiicit Cel. DESING, *unum tantummodo principium significatiuum seu cognoscendi principium iuris naturae*:

1) *quia Deo non potest praescribi, ut uno tantum modo suam voluntatem significet b)*. Sed respondentis officio nunc fungens, *primo* adfirmo, adsumi hic aliquid, id quod fere omnes, contra quos militat DESING Cel. negant: efficere nempe Deum solummodo, ut cognoscamus, quod voluntati ipsius sanctissimae conueniens sit, et quid faciendum nobis incumbat. Sed demus hoc Viro Cel. Est enim non modo liberale, paulum nonnunquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum. Sufficiat nobis, quod *alterum* monitum est, ex hisce concessis

a) Corroborauit haec maximus nostro saeculo iuris naturae Doctor, *Magnificus atque Illustis* DARIUS, praceptor atque patronus meus, sempiterna

pietate deuenerandus, in *Observationibus iuris naturae Tom.*

II.

b) leg. *Caput. V. Laru. det. Them. V,*

cessis talia Virum Cel. deduxisse, qualia nemo, nisi facillimus ad credendum unquam ipsi largiturus sit. Quis erit enim, exhibeat illum nobis opponens Cel. qui, bene nos argumentatos esse, adfirmet, ita concludentes: Cuius Deum admittit, qui nil, nisi quod optimum est, semper eligit. Defendit igitur ille Deum, cui praescribi potest? Quemadmodum vero, neminem, arbitror fore, quem hocce complexum moueat, ita quoque sequelam Viri Cel. negabo: Vnicum principium legis naturae indicatum, defenditur, Deum hominibus supeditasse: Admittitur igitur Deus, cui praescribi possit. Simillima enim ratione concluditur. Neutra harum argumentationum illud in se continet, quod inde illatum fuerit.

§. VII.

Non est, ob II. rationem, unicum tantum iuris naturae principium indicatum, quia, si unum est atque obsecrum, illud inter tot dictamina, homini occurrentia, nemò deprehendet c). Sed nego ac pernego, prout formata ab opponente Cel. est, conditionem, huius argumenti. Adiecit, quod nemo ille admitteret, contra quem sua opponens Celeb. cogitata diri-

B

git,

c) vid. loc. cit.



git, coniungens cum unitate huius principii obscuritatem, quam omnes praecipiant, contra quos itur, ceptem fugiendam esse. Ex eo igitur, quod negent doctores iuris naturae, si quoddam admittant principium iuris naturae in suis systematis, illud pro falso opponens Cel. habet, quod tali principio iudem tribuunt. Hoc sophistarum olim erat.

§. VIII.

Non est unicum tantum principium iuris naturae indicatum. Si enim, quod III. argumentum sit, illud unum et evidens sit, unde tot dubitationes de iure naturae? d)
 Nec hic, adumtis illud, deprehendi, inesse, id quod ex istis eruit Vir Cel. Et haecce argumentandi ratio sua consecutione caret. Mperari enim ex duplici capite quaedam lis potest contra conclusionis veritatem. Oriri contentio potest circa conclusionem ex falsitate expositionis seu maioris propositionis. Nonnunquam vero conclusio quoque ob assumptionem, vulgo minorem propositionem in dubium vocatur, salva veritate expositionis eaque evidentissima. Excitari igitur possunt tot dubitationes de iure naturae ex hacce fundamento, quemadmodum
 etiam

d) leg. cit.

etiam quam plurimos manant, quod non ubique ac semper, hoc obuium factum, hominibus pateat, tale esse, quale, voluerit Deus, a creatura rationali fieri. Hanc propositionem: *Quicquid Deus voluit, fieri ab hominibus, ad id obligati sunt homines*, omnes doctores iuris naturae possunt tanquam vnicum atque evidens illud principium adsumere, ex quo, nos, cognoscatur, ad factum quoddam obligari; et valde inter se disceptare, an iuris naturae avtochiria sit? Conveniunt omnes in eo, quod illa quoque ius naturae prohibuerit, quae contra sextum decalogi praeceptum sint manifeste suscepta; et tamen disconveniunt, cum quaestio formetur: possuntne mas saluo sexto illo praecepto foeminas vna plures adire?

§. VIII.

Obiicit III: *Infirmetas voluntatis, obscuritas intellectus nostri, tumultus passionum, curae huius saeculi retrahunt nos et impediunt ab audiendo verbo Dei siue intelligenda supremi Dei voluntate. Decet ergo, inter tot nebulas non vnicum radium luminis emicare ab auctore nostro.*

Ita V: *Experientia docet, doctos atque pios homines saepe non deprehendere voluntatem Dei. Quod fieri non posset, si vnum et evidens esset, signum voluntatis diuinae.*

Hinc docti ac pii saliciti sunt ad plura signa conquirenda, nec ob id vituperio digni habentur.

Infit VI: *Experientiam præbent iuris naturæ doctores maxime heterodoxi, qui in hunc diem iurgantur de hoc uno evidente principio, iurgaturi et deinceps. Ergo nec habitus inuentum est illud unum, nec deinde forte inuenietur. Ergo miserrima adhuc fuit, et semper erit misera generis humani conditio, re tam necessaria carens: aut potius rei huius inuentio non est ita necessaria ut vulgo iactant.*

Sequenti ratione VII: *Dicitur nequit, alia via deuenire nos in notitiam ipsius Dei, et rursus alia in notitiam imperii ac Domini diuini. At via, qua deuenitur in notitiam Dei, non consistit in uno medio, sed multis, nempe in omnibus effectibus operationibus etc. Igitur etiam via perueniendi in notitiam imperii diuini non consistit in unico medio, sed in pluribus e).*

Et ostensurus, non posse vnum signum generi humano sufficere, tandem ita Cel. DESING argumentatur: *Vnum signum non potest sufficere generi humano: quia vnum, pro omnibus datum, debet esse generale. Sed de generalis huius principii adplicatione, infinitas dubitationes oriuntur. Hæ dubitationes non tolluntur per ipsum generale*
princi-

e) vid. loc. cit

principium, cum circa illud ipsum nascantur. Ergo debent tolli per aliquid aliud significatiuum voluntatis Dei pro casibus particularibus, cuius indicii adiumento fiat applicatio, si nempe generale signum et particularia conspirent f).

§ X.

Sed abstrahat nostra mens a Vito horum argumentorum, quippe cui nulla prorsus sequela inest, quia et haecce, quae sequitur argumentatio, sua omni consequutione destituitur: Iurgantur in hunc diem homines de vnico euidenter existente Deo, iurgaturi et deinceps: Ergo nec haftenus inuentus est ille vnicus Deus, nec deinde forte inuenietur: Ergo miserrima adhuc fuit et semper erit misera conditio generis humani, re tam necessaria carens, aut potius Dei huius inuentio non est ita necessaria, vt vulgo iactant; Et ex reliquis omnibus hisce **DESINGII** argumentis, si dentur etiam, quae saepe tamen in istis sua precario fecit, nil, accuratiores in argumentando videbunt, fluere, nisi, quod varia queant existere, quorum tanquam principiorum ope assumptio, siue minor propositio istius syllogismi corroboranda sit, vel quorum ope, et obuium factum, demonstretur,

determinatae qualitatis esse, ad quod siue omittendum siue committendum naturalis obligatio detur. Quae vero cum valde differant ab illo iuris naturae principio, quod suis systematis iuris naturae doctores solent adhibere; g) saluo eo ac integro, quod vnicum principium illa lex naturalis esse debeat, omnia haec argumenta opponenti Cel. reddi possunt.

§. XI.

Protrahitur ab unitate huius principii, eodem contradicendi studio ad id, quod *primum* principium ista lex naturalis esse debeat. *Non deueniri debet, Cel. DESING* statuit, ad illud signum, quod ex pluribus principiis vel signis est omnium primum, ad quod velut fundamentum cetera reducuntur.

Quia I. non constat, utrum Deus significationes voluntatis suae ita sibi inuicem subordinet, ut omnes ceterae per seriem quandam fluant ex vna b). Non regeram amplius, a Viro Cel. praesupponi illud et hacce in argumentandi ratione, de quo controuertitur, dependere nempe a Deo vnice cognitionem hominis in iure naturali i); Satis erit, sequelam huius argumentationis negasse. Non constat, verum sit, utrum ita

Deus

g) vid. V. §. *dissertat.*

Laru. detr.

b) vid. *Them. VIII. Cap. V.*

i) vid. VI. §. *dissert.*



Deus suam voluntatem nobis manifestet, vt deueniri semper ad primum quoddam principium cognoscendi debeat; Constat tamen, vtrum Deus essentiis atque indoli rerum conuenienter agat. Si igitur adsumatur, non iam Deum suae voluntatis significationes sibi inuicem subordinasse, vt omnes ceterae per seriem quandam ex vna fluant; ostendendum antea fuisset, non magis conuenienter indoli atque naturae hominis fieri, si ita suam Deus voluntatem hominibus manifestaret, vt cognitio singulorum diuinae voluntatis obiectorum per seriem quandam ex vno illorum flueret. Quod vero fuit tanquam incertum ob opponente fuit relictum; vel prorsus non afficit hoc argumentum conditionem huius principii, vi cuius primum doctoribus dicitur; vel quia non constat, dubium saltem est atque incertum, vtrum Deus ope primi principii hominibus voluntatem reuelet. Concludere igitur ex hisce eodem iure licet, quo vsus Cel. DESING fuit, debere ad primum omnium principium deueniri.

in rebus a se ipsis §. XII.

Nihil interest iuris naturae ad primum deuenire, continuat Cel. DESING suas disputationes; sed haec forte

meta-



metaphysici aut logici posset esse cura: ius naturae practicum est, in quo nemo desiderat prima omnium principia; ceteris omissis, adhiberi. Quanta confusio! Iussit opponens, de iure naturali docturum ideas distincte atque discrete sumere, non alias pro aliis, sed descriptione (k). Non talem hic deprehendo. Practicum enim ius illud naturae, in quo nemo desideret, prima omnium principia, ceteris omissis, adhiberi, aut pro scientia iuris sumitur, quae omnino practicis disciplinis, non speculatiuis adnumeranda est, seu obiectiue; si technice rem exprimere iubeat; aut termini: Practicum est ius naturae, facultates designant, quae competunt hominibus, vel illud vel hocce factum perpetrandi; seu subiectiue, ut, aiunt in scholis, ius illud practicum spectatur. Si prius; simpliciter negamus, curam solummodo metaphysici atque logici esse, deuenire ad primum cognoscendi principium. Non enim methodi ratione, qua pertractari solent, practicae scientiae et speculatiuae a se inuicem differunt; obiecti potius ratione discriminat inter hasce scientias obtinet. Concludunt et morum doctores ex primis principiis atque legitime. Absit

tanquam

k) vide *ius naturae purgat. Cap. I. Them. II.*

tanquam falsissimum, vt, proprium hocce tantummodo metaphysicorum esse, statuamus.

§. XIII.

Si alterum autem ponas, quod, auspicor, factum esse, et, Virum Cel., velis, statuere, ius illud, quando practicum est, sumpsisse *subiectiue*; iam satis huic argumento factum fuisset; si opponentem, dixissemus, significatum mutasse, quo statuunt, legem naturalem primum principium iuris naturae esse: si oblitum hic eum controuersiae fuisse, responsum esset 1). Sed plura atque maiora opponens Cel. a nobis accipiat. Dabimus, et sumi posse *subiectiue* ius naturale, quando ita practicum esse, perhibeatur, vt nemo desideret, primum omnium atque vltimum principium. Sed nunc quoque nobis opponens Cel. vnum ex hisce duobus dabit: Aut enim nemo desiderat, vtens suis facultatibus obuiumque obiectum secum connectens, tale primum omnium, ceteris omissis, principium, quale ad minorem seu alteram syllogismi propositionem queat requiri corroborandam; aut tale nemo, suis facultatibus vtens, principium primum vrget, quale sit maior istius

C

syl-

1) vid. §. III. *dissertat.*



syllogismi propositio, cuius iam supra mentionem fecerimus *m*). Si *illud* a Viro Cel. impetramus, cum statuit, primum principium neminem desiderare; lubenter concedimus, quod non necesse sit semper, ad primum omnium deuenire. Sufficere saepe hic propria principia possunt. Quia vero hoc neuiquam tale principium iuris naturae vocatur, quod tanquam primum omnium philosophi exagitant; concessis hisce omnibus, immotum linquitur, legem naturae primum principium esse debere. Si *boc* vir nobis largitur; inficias imus conditionem argumenti, vt logici amant, cogitata mentis pronuntiare. Omnem, statuimus, hominum rationes sciscitari, cur debeat istud praeprimis fieri? cur sit ad istud obligatus? quamuis ex infima sordet et quam maxime rudis adpellatur. Quod ipsum vero cum sit desideratio primi principii, cuius ope cognoscatur ad factum obuium obligatio; falsum esse, a nobis dicitur, desiderare neminem primum principium iuris naturae.

§. XIII.

Qua argumentatione iam Cel. DESING studet, euincere, non primum principium legem naturalem esse,

m) vid. §. V. *dissertat.*

esse, illa robur suum ab antecedente mutat n). Quid mirum ergo, si cadere quoque illam, simili ratione statuamus o)? Ita enim concluditur: *Ius naturae plures tangit vides, quam doctor. Ergo maximae hominum parti difficultas feruandi iuris insuperabilis iniiceretur, si necesse foret, ad primum deueniri p).*

§. XV.

Tandem talia dicit Cel. DESING, vt neget, legem naturae primum principium esse debere. *Doctissimi nondum potuere ratione peruenire ad primum, cum de eo adhuc dissentiant, interque se certent. Ergo iuris naturae nihil attinet. Imo nocet; quia labyrintho nos horum labor includit q).* Quod autem principium cum totum factum sit, tum ne efficit quidem quod vult. Dissentiant adhuc, concedo, interque se certent iuris naturae doctores de illo principio; sed parum hoc mihi videtur ad conficiendum: Ergo doctissimi nondum potuerunt peruenire ad primum istud principium. Dissensio enim et concertationes doctorum circa praestantiam moueri possunt, quam alter philosophorum forsan prin-

C 2

cipio.

n) vid. XII. §. *dissert.*

p) vid. *Them. VNI. Cap. V.*

o) vid. XII. et XIII. §. *dissert.*

Laru. detr.

q) loc. cit.



cipio tribuit, cuius nimirum ipse ille inuentor et au-
 ctor existit. Id quod de plurimis disceptationibus, pu-
 to, sentiendum esse, in quibus illa lex naturalis versa-
 tur. Sine causa itaque et ad libidinem *doctissimos*, Vir
 Cel. sumsit, *nondum potuisse ad primum peruenire*. Nec
 tamen id, cuius causa hoc finxerat, assecutus est. Nam
 nemo inde, quod fecit tamen opponens Cel., argumen-
 tabitur: *Ergo nihil attinet iuris naturae imo nocet perue-
 nire ad primum principium*. Tyro in scientiis sequelam
 hancce falsam pronuntiabit. Quam arctis limitibus eru-
 ditorum negotia includerentur, si talis Viro argumen-
 tandi facultas atque potestas concedenda esset, si circa
 ea sapientes semper deberent subsistere, ad quae iam
 peruenerunt? Breuis ero; si dicam, similem argumen-
 tandi rationem iamiam §. X. exhibitam fuisse.

§. XVI.

Certum porro et *euidens* principium, nostri do-
 ctiores dicunt, legem naturae esse. Sed neque pro tali
 opponens doctissimus illam habet, ductus hacc ratione:
*Si significatio huius principii intellectui nostro a Deo
 facta esset certa et euidens nobis quoad omne iustum; aufer-
 ret ea significatio omnem ignorantiam nostram. Quod, vlti-
 mum*

num autem cum satis illud absurdum sit ; tum inquit, quoque primum tollendum esse r). Respondeo. Ita falsa sunt ea, quae consequuntur, ut illa ex quibus haec legitime nata sint, vera esse non possint. Docent enim nos, ut scit opponens, dialectici: Si ea, quae rem aliquam consequantur, falsa sint; falsam illam ipsam esse, quam sequantur. Ego autem quod hocce in argumento iure desidero ; illud in eo vnice positum est, ut mihi falsa ista non videantur, ex primis legitime nata esse. Potest principium iuris naturae certum et evidens esse; et tamen homines in ignorantia iusti versari. Auferret certa et evidens huius principii significatio omnem ignorantiam nostram; si certo vbique animus hominis et evidente principio instructus esset, cuius nimirum ope assumptio syllogismi illius practici declararetur. Quod autem cum nemo eorum dicat, cum quibus litigat Cel. DESING s); et stare, contendo, sententias protestantium: legem naturae evidens et certum principium cognoscendi esse.

C 3

§. XVII.

r) vid. *Them. XIII. loc. et Capit.* s) vid. §. V. *dissert. cit.*



§. XVII.

Eas, quoque placet, rationes Cel. opponentis iustrare, ex quibus, legem istam naturae, confecit, non *proprium siue domesticum principium cognoscendi esse*. Multis hic eadem ficta et ad libidinem adsumpta opponens dixit. Dari itaque etiam vna eademque responsio ad omnia ista poterit. Repetam disputata. Sunt:

Principium illud primum et unicum indicatum non debet necessario esse proprium, id est, signum, indicans voluntatem obligatoriam Dei, non debet esse plane diuersum:

I) *a signo, per quod significatur, actionem esse honestam, siue tendere in Deum tanquam summum bonum, quod signum vulgo adsignatur ethicae. Nam signum hoc ipsum indicat voluntatem Dei obligatoriam, seu iubentem, nos tendere ad summum bonum. Ergo ius naturae non habet proprium signum a signo ethicae diuersum.*

II) *Non debet hoc signum esse plane distinctum ab illo signo, quo nobis indicatur, esse parendam legi civili, quod principium vulgo referunt ad iurisprudentiam civilem. Nam tale distinctum principium verum iuris civilis non datur; sed verum principium iuris civilis est ipsum principium iuris naturalis.*

III)

III) *Non debet hoc signum esse plane et necessario a principio theologiae distinctum, siue per quod nobis innotescit reuelata Dei voluntas. Quia voluntatis diuinae significatio per ordinariam aut extraordinariam viam differt tantummodo quoad modum: et eadem praecepta naturalia, quae Deus reuelauit per naturam, reuelauit etiam per inspirationem extraordinariam et miracula. Ergo ad intelligendam naturalem obligationem seu voluntatem Dei non bene requiritur solus modus significandi naturalis, reiecto supernaturali.*

III) *Aiunt, nisi ius naturae proprium principium habeat, omnes scientias confundi, ius naturae cum ethica, politica theologia morali iure positiuo etc. Respondetur. Magnum scilicet generi humano periculum imminebit, si ludimagistrorum termini non satis subtiliter definiti sint. Antequam doctores ita inter se partirentur speculationum fines, fuisse ius naturae cum proprio principio? Imo olim salum ius naturae fuit, et totius ethicae, theologiae, politicae etc. idem fuit principium. Ergo, ut ludis litterariis seruiatur, conturbanda sunt iura Dei: ut periculose abstractionibus ab illo alienandi sunt tam fortes spiritus, quam infirmi; et genus huma-*
num



num maximeque Christianus populus auxilio suo unico et spe firmissima, reuelatione inquam diuina, priuandus?

V. Ad extremum qualecumque principium iuris naturae proprium aliquis doctor deprehendisse sibi videatur, si eidem obstaret significatio Dei per reuelationem; esset omnino falsum et abiiciendum. Ex quo patet, haec iuris prudentum principia non esse prima, sed regulanda secundum regulam altiore, nempe reuelationem. Qui ergo primam et propriam inquirat, debet inquirere reuelationem, si qua potest haberi t).

§. XVIII.

Tria vero potissimum falsa, quis enim est, quin animaduertat, Cel. Virum in omnibus hisce argumentationibus supposuisse?

Vnum, quod nemo, accusatus a Viro Cel., vnquam statuit, et cui I. II. et V. rationum superstruxit, in eo positum est, vt tale discrimen, si dicant protestantes, proprium atque domesticum istud principium esse debere, inter legem ciuilem et naturalem et inter ethicae atque theologiae principium Cel. opponens adsumserit, quali

t) vid. *Them. XVI. loc. et Cap. cit.*

perfecte opposita solent a se inuicem dignosci, siue plane diuersa, quae vulgo *contradictorie opposita* vocantur.

Accedit, quod legem naturae, Cel. DESING crediderit, assumptionem syllogismi corroborare, cum potius illa expositionem seu propositionem maiorem nominati syllogismi efficiat *u*). Deprehenditur autem haec rerum atque notionum permutatio in tota disceptatione, eoque visus est opponens III. argumentum stabiliuisse.

Addo *ultimam* falsitatem, in IV. quod repetitum a nobis fuit, *DESINGII* ratiocinio latentem itaque sonantem: Illi conturbant iura diuina: prouant totum genus humanum, fortes atque infirmos spiritus, maxime populum christianum auxilio suo unico et spe firmissima, diuina nimirum reuelatione, et ludis litterariis seruiunt, qui, terminos, praecipiant, subtiliter deficiendos esse et iubent, ius naturae ab ethicis atque politicis discernere. Iam non vrgebo, his Virum Cel. suis visceribus vim quasi intulisse totamque scholastico-

D rum

u) vid. V. §. *dissertat.*



rum turbam hic illum dente maledico carpsisse, quorum ad auctoritatem defendendam tamen arma opponens sumpserit. Quibus enim scholasticis doctoribus nemo existens unquam fuit, qui terminos subtilius definiuerit interque se disciplinas diligentius partitus esset. Satis hic Virum Cel. reprehendero, si, ita a veritate totam hancce opinionem, affirmem, alienam esse, ut illi potius iura diuina conturbare totumque genus humanum suo unico auxilio, diuina reuelatione priuare dicantur, qui negligunt, terminos subtiliter defendere, imisque in scientiis vltima amant miscere. Nudus is plane atque inermis esset in arte quaerendi et differendi et negligens eorum, quae dies saepe docuit, qui dicta haec nostra in dubium vellet vocare. Interim id omnino Cel. opponenti largiendum erit, quod, ea, nouerit, falsae hic eligere, quae, si illa possent admitti, multum profecto fecissent ad finem atque extremum *hancce decessas* impetrandum x). Sic autem rebus sese habentibus, qui fieri, quaeso, aliter potuerit, quin falsam quoque sententiam Cel. DESING tueretur, cum, legem naturae, nec voluit, pro proprio atque domestico principio sumere.

§. XVIII.

x) vid. prooemium *dissertat.*



§. XVIII.

Ut de omni sententia protestantium, ad legem naturae pertinente, sit dictum, quam vtrum folleret, Cel. opponētis maxime intererat; restat locus huic disputationi vel maxime necessarius de eo, quod iubeant aliquie x nostris doctoribus, abstrahere a reuelatione in lege naturali formanda. Quod quidem tam monstruosum atque erroneum, tam foedum atque miserum dictu Viro Cel. visum fuit, vt, inde, crediderit, facile aliquem atheum fieri posse: vtque melius hisce nostris doctoribus PLATO, prudentius SYNENSES et magis consulte ceteri omnes pagani de sacra scriptura et reuelatione senserint y). Superuacaneum foret, si vellem hic eas nimirum rationes proponere, quibus ducuntur nostrates, diuinam reuelationem a lege naturali et formatione ipsius remouere. Omnes vobis eorum sententiae satis notae sunt. Innocens earum origo est, et maxime conueniens scopo iuris naturae, vt omnes sciunt, in quorum conspectu haec disputo. Nec credo, argumentationibus DESINGII fore hanc vobis suspectam protestantium sententiam. Leuissima enim consideratio eorum,

D 2

rum,

y) vide Cap. X. Laru. detract.

rum, quae hunc in finem dicta sunt, omnes ac singulos docebit, Virum Cel. et hacce in causa alias plane cogitationes atque significatus principii iuris naturae nostris doctoribus adfixisse, atque habuerint: legem naturae pro tali principio agnouisse, cuius nimirum ope assumptio syllogismi illius practici declararetur, cum tamen omnes pro expositione seu pro maiori propositione illam habuerint 2), eoque igitur significato illam a reuelatione exclusisse, in quo significato nemo noster sacram scripturam vnquam remouerit, omnes autem talemque vim sanctissimae reuelationi, in dignoscendo iustum ab iniusto tribuerint, qualem ipse DESINGIVS admittit. Ostendendi itaque tantummodo vobis montes DESINGII sunt, quos parturiuit; et quisque vestrum videbit, cur affirmare potuerim, Cel. Virum cum vmbra et larua, ridicula hic pugnavisse, ita nimirum, vt omnia, quae disputauit, quadam ratione dici possint, non modo non repugnantibus, verum etiam adprobantibus nobis.

§. XX.

2) vid. V. §. *dissert.*

§. XX.

Sequitur σύνημα: Illi omnes, qui in iure naturae abstrahere volunt a quacunq̄ue reuelatione Dei, impossibile est, ut vel ad primam vel ad quaecunq̄ue iudicium voluntatis diuinæ perueniant.

Indicium enim voluntatis Dei et reuelatio Dei quaecunq̄ue idem prorsus sunt. Ergo qui alterutrum excludit utrumque amittit a). Porro

Omnes, qui, in inquirendo principio indicatio voluntatis Dei plane abstrahi, volunt, a reuelatione formali, quae vocatur et extraordinaria, ne, hi quidem unquam ascendens ad primum.

I) Percurrat quisquam omnium gentium historias; omnes glorientur ultimato seu primo tempore, doctrinam sanctitatis et iustitiae se accepisse a Diis vel ab hominibus, qui Deo familiares fuerint, aut Deorum filii. Sensus ergo communis hominum percipit, voluntatem Dei tandem et ultimo non nisi ab ipso Deo immediate significari.

D 3

II) Quis

a) vid. Them. IX. Cap. V. Laru. detr.

II) *Quis est, qui in re dubia non optaret, sibi immediate a Deo significari voluntatem suam. Hinc ad Deum se vertunt, oculos quoque et manus ad sidera tollunt. Qualibus formulis pleni sunt etiam iam poetarum libri. Et TERTULLIANVS id familiare suo tempore gentibus fuisse, scribit in libro, de testimonio animae. Repugnat igitur appetitui communi generis, reuelationem plane excludere ab indagando iure naturae b).*

Amplius: Qui statuunt, actiones iustas ad unum primum principium indicatiuum reducendas esse, remota tamen reuelatione, periculosam humano generi sententiam dicunt.

I) *Cum enim quilibet istorum dicit, unum esse principium, consentiunt in quaestione an? et ita obfirmant legentes vel audientes. Deinde cum alius dicit, principium illud esse tale, alius tale, viam faciunt, ut discipulus eligat ex bis, quod sibi commodius est, v. g. Conseruationem sui vel societatem, modo non eligat reuelationem, quam*

b) vid. *Them. X. Cap. et loc. cit.*



quam, omnes isti, excludendam, aiunt, qui gloriantur, se verum ius naturae docere.

II) *Magis autem infirmi ad desperationem et per hanc ad noxiam libertatem possunt seduci. Si enim tot doctores, verum ius naturae, a se solis inuentum, gloriantes, nondum inuenerunt illud euidens, quo modo ego infirmus illud inueniam c)?*

Quos et similes clamores in toto capite Cel. DE-SING edidit, cuius inscriptio erat:

Num religio aut sacra scriptura sit excludenda ex iure naturae docendo aut ex principiis illius indicatiuis d)?

§. XXI.

Habui haec et talia de *desingianis* aduersus conditiones principii iuris naturae moliminibus, quae dicerem. Antea vero, quam ipsam disputationem finiam, peroranda nonnulla sunt, vt vsus rerum, a nobis tractatarum, melius intelligatur. Quorum *potissimum* ad maximi, quod datum diuinitus Argentorati ecclesiae nostrae fuit, columinis, S. R. FROEREISENII, orationem

c) vid. *Them. XV. Cap.* d) vid. *Cap. X. Larv. detr. et loc. cit.*

tionem pertineat, quam habuit *de misero ecclesiae, Augustanae confessioni addictae, permultis in locis statu*, cum tertia vice sceptrum academiae capefferet. Illa oratio, dici vix potest, quantum ex mente Cel. DESINGII valeat, ad vim vituperationum augendam et ostendendum, quam miseri protestantes eorumque congregatio esset, eo, quod hierarchia careret e). Securitatem enim hierarchiae, quilibet intelligit, ultimum fuisse, ad quod tanquam finem *desingiana* referantur. Tantum autem abest, ut queat aliquid confici ex dictis huius theologi quod vel simile esset *desingianis* conatibus, vel indefessum viri huius et multis atque egregiis speciminibus iamiam probatum studium pro defendenda puriori protestantium doctrina posset suspectum reddere, ut eorum ope, quae hactenus a nobis disputata sunt, prorsus confidam, oppositum posse ex illa oratione demonstrari.

§. XXII.

Alterum eorum, quae meis dictis, constitui, superaddere, systema in primis Wolffianum spectat, quod tam

e) vide *appendic. Larn. detv.* Huic enim tota oratio FROER-
EISENIANA adiecta est.

tam perniciosi rebus diuinis atque humanis Cel. DESINGO habuit, ut, huius peruulgati in orbem systematis auctorem, crediderit, in suis principiis *non obligationem moralem, sed physicam mere talem* admisisse: atheis lectulum strauisse, aliaque et plura inaudibilia fecisse *f*). Nemo talem in nobis, peto, agnoscat discipulum immortalis WOLFFII, qui omnia huius systematis sine discrimine adprobans, inexcusabilia quoque huius Viri defendat. Multa enim cum maximis theologis atque philosophis in hocce systemate *Wolffiano* vidimus, quae emendationem atque censuram mereantur. Tot sententis, quot homines, fallit et WOLFFIVS potuit. Neque tamen nos ii sumus, qui credant, Cel. DESINGIVM talia fecisse. Nam quicquid DESINGO monuit, id demonstrauius, natum ex falsis notionibus esse, quas tribuit opponens principiis WOLFFII. Quibus mutatis notionibus etiam *ius naturae repurgatum* Cel. DESINGII superstructum est, ut ea, quae reformare atque corrigere vult in iure naturali, nobis quidem deprauare videatur. Exhortatur catholicorum nobiles in protestantium dogmata iuris naturae.

E

In

f) vid. Cap. XVI. Them. XVII. et XX. XXXV. Laru. detr.

In quorum locum iis iubetur, emendatum ab ipso Vi-
ro Cel. ius naturale substituere. Iam videt catholico-
rum nobilitas, quid poterit a tali reformatore sperare,
qualem se nobis DESING scilicet probavit? quod, ve-
lim, tanquam *tertium* adiunctum consideretis.

§. XXIII.

Ultimum enim eorum, quae erant differtis addenda,
in eo positum est: Dabo opponenti Cel. (multum
enim abest, ut suis id disputationibus obtinuerit,) va-
ria inueniri in istis systematis PUFFENDORFFII
nempe et immortalis WOLFFII, quae vel profus me-
rerentur reprehendi, vel emendari tantummodo, vel
denique limitari; et valde tamen, inde, dubito, Cel. Vi-
ro ius dari, catholicam iuuentutem ab academiis pro-
testantium auocandi. Rare leguntur in nostris acade-
miis nostrisque iamiam temporibus sermones PUFFEN-
DORFFII et reliquorum, DESINGIO suspectorum,
de iure naturali. Alios habet suos quaelibet prote-
stantium academia iuris naturae doctores, ad quorum
scholas accessisse, auguro, nunquam fore, ut vllum ca-
tholicorum poeniteat: Nostra veneratur suos DARI-
SIOS.

SIOS atque MÜLLEROS; Augusta Georgia SCHMAV-
 SIOS, ACHENWALLOS, PÜTTEROS et BECKMAN-
 NOS: CRYSIOS Lipsia: Alma Fridericiana suos NET-
 TELBLATTOS et MEIEROS; Erlanga suos SCHIR-
 SCHMIDIOS; quorum neminem, Cel. DESING sciat,
 in verba et dogmata siue PVFFENDORFII, siue HEI-
 NECCII atque WOLFII iurasse. Isti omnes suo iudicio
 atque arbitrio, vt aequum est, fieri a philosophis, recta
 probarunt; principia parum idonea omittentes et emen-
 danda cetera in hisce systematis ingenti studio atque
 opera corrigentes.

§. XXIV.

Dixi. Magis autem, vt prouocarem Virum Cel.
 quam vt ipse loquerer. Quae dicta, si respondere ad
 illa lubeat; (fore id autem prorsus existimo,) non per-
 tinax ero, Viroque Cel. si mihi probabit ea, quae di-
 cet, libenter adsentiar. Modo ista sit aequitate, quam
 ego ostendi.





ADDENDA

MORE MAIORVM COROLLARIA.

Nec athei notio, nec materialistae permittit, vt illos, existimemus, necessario tales esse, qui omnem mentis humanae statum, post mortis catastrophem futurum, denegent. Sed vti in plurimis haeresibus id fieri solet, ita et atheus et materialista, tales tantummodo per accidens esse possunt, qui mentis immortalitatem tollant. Vterque igitur futurum animorum statum pro causa impulsiva suarum actionum sumere potest.

Non male statuisse illi nobis videntur, qui affirmauerunt, officia erga Deum referenda ad officia hominis erga se ipsum et erga alios esse, vt medium erga finem refertur.

Inter praecipuas notas, in quibus ab aliis philosophiae partibus mathesis differt, ego saltem refero: 1) diuersitatem obiectorum: 2) discrimen signorum aequipollentium: 3) relationum ad se inuicem multitudinem.

Ex eo: *non potest numerus infinitus verbis exprimi, non valet tanquam bona argumentatio: Ergo non datur numerus infinitus!*

Continua factorum connexio, quam aliqui in historia contendunt, non ansam tantum praebere potest, varia sine certis documentis supponendi, iisque fide dignis; sed etiam videtur non semper atque vbique possibilis esse.

Relinquit mihi suas iste historicus partes, semper qui solet causas factorum scrutari; id enim, accepimus a nostris maioribus, tantum philosophi esse.

Qui aliis praecepta hermeneuticae sacrae tradit, ille, simpliciter impossibile est, vt queat auditorum desiderium explere, nisi quam optime eum, instructum a philologia sacra, sumas.

Genes. X. vers. 21. scio το γινωσκω communi quasi interpretum voce



voce ad *דבר* referri, ut inter tres *NOACHI* filios *SEM* hic vocetur *maximus natus*. *LUTHERVS* bene illud etiam cum proxime antecedente subiecto, quod *דבר* est, potuit construere atque ex variis rationibus debuit, ut *דבר הגדול* nominandus fuerit.

Vel nullam is prorsus artem differendi habet, vel inuidius homo atque malignus est, qui cavocabulis, metaphoricè sive improprie sumendis, tribuit, quæ colligi tamen ex propriis tantum significatibus vocum possunt, ut absurda inde atque *παρδοξα* extorqueantur. Quod dictum fere in omnes cavillatores velim *Seraphinorum*, ut dicuntur, poetarum; maxime autem talis iste plerumque auctor existit, qui librum edidit, cuius inscriptio est: *Die ganze Aesthetik in einer Nuß; oder: Neologischer Wörterbuch*.

Sacer is mihi orator existit, qui ita nouerit, reuelata nostræ salutis media proponere, ut viua inde in mentibus auditorum cognitio mediorum salutis oriatur. Quæ vero cum nequeat prorsus obtineri, nisi vir bonus atque sanctus orator habeatur; concludo inde, metaphysice, ut aiunt, siue simpliciter necessarium esse, ut vitæ sanctimoniam sacer orator colat.

Si vel maxime philosophis detur, quod vnitas Summi Numinis nostri et immortalitas cum resurrectione mortuorum possint ex penu sanæ rationis demonstrari; id tamen melius ex sacra nostra scriptura fieri posse, cum multis veterum theologorum statuo.

Diuellit is regulas, quibus comuenienter differendi ars iubet, perfecta signa cogitationum formare, qui logicorum in rebus definiendis perpetuum breuitatis studium commendat, illudque laudibus extollit.

Praeiacata opinione is nobis laborare videtur, qui, medicum tantum, defendit, physica optime posse docere.

Medica physica, prout illam vulgus a *physica oeconomica* distinguit, eadem est, ac ipsa *medicina*; si illa nimirum pro disciplina sumatur. Quemadmodum etiam *physica oeconomica* ipsa *oconomia* vocanda erit, si illam scientiis adnumeremus.

PRAE-

PRAESTANTISSIMO VIRO ERVDITISSIMOQUE
OPTIMO DEFENSORI HVIVS DISSERTATIONIS
GEORGIO DANIELI MOOG
FAVORI ATQUE AMICO SVO VALDE
COLENDO

P R A E S E S.

TVIS, Respondens praestantissime, rei sanctoris atque philosophiae studii, et quoque maximo erga meos conatus favori tribuendum esse, restor hic publice, quod nostra dissertatio eruditorum disquisitioni potuerit subiici. Constitutum enim apud te laudabili conamine erat, exercitibus priuatim satis ac optime viribus TVIS in disputando, et publice partes defendentis in te suscipere. Suppeditebatur nobis occasio. Suscepisti defensionem. Tanta inde laetitia mihi, tantum honoris atque auxilii sufficiebatur, ut verba deficerent, quibus hos animi motus exprimerem. A primis enim academicae vitae TVAE temporibus te habui in meis auditoribus. Semper te diligentissimum praestitisti et percontantem rerum sufficientes rationes. Id quod videre praesertim mihi in iis horis licuit, ubi statutum erat, et disputando et examinando maioribus commilitonum profectibus consulere. Nulli pietate ac bonis moribus cedis. Superare potius multos contendis, ut exemplum cuius academici bene morati in te possimus agnoscere. Quantos itaque fructus ex patria omnino in te redundaturos! Quanta iam parentibus TVIS existit materia solide laetandi! Quanta iis optimis futura! Quanta tranquillitatem animi TV TIBI ipse finito demum feliciter academicae vitae curriculo gaudebis! Quibus et talibus TVAE virtutis praemiis ut diu perfruaris, a Summo virtutum Remuneratore TIBI opto. Vale, defendens praestantissime, et me amare, perge. Ienaë d. def.

